MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV: 1.7. 1.9.)

Melk, um 1470 Seite 52v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

modicum. et narrabo tibi omnia opera mea. Sancta margareta sublevavit pedem suum. et statim demon ait: Belial est mihi nomen: postquam beelzebub multorum laborem iustorum in ventrem meum glutivi. Ego quidem contra omnes pugno. nullus me vincere potuit. tu vero oculos meos vicisti. virtutem meam confregisti. rufonem interfecisti. Et nunc quia video christum in te manentem facis quod vis: nam antequam christus in te maneret terra eras et cinis. nunc autem ex quo christum accepisti. aliam formam in te video. et christi signum in te ostendit: per quod fructus iusticie in te maturant. digiti tui signaculo christi signati sunt. cuius signaculo alligasti me. et rufonem fratrem meum occidisti. Ego multorum abstuli labores: et glutivi more meo. Ego sum qui pugno cum iustis. et intendo renes eorum. et obceco oculos eorum. et obscuro sensus eorum. et facio eis oblivisci omnem celestem sapientiam. et cum dormierit venio super eos et excito eos a somno: et vadunt super domos aliorum. et quos movere non possum facio eos in somno peccare: et qualicumque arte sit facio eos agere secundum voluntatem meam. et tamen de manu mea nemo evadere potest. Cum omnibus pugno. et omnes conquasso. sed de illis dico in quibus porcionem habeo. nam qui tibi similes sunt confusus discedo ab eis: sicut a te hodie superatus sum. O margareta quid faciam ignoro: arma mea confusa sunt. Si ergo iuvenis me vinceret non curassem. ecce a tenera puella superatus sum. et hoc maxime doleo quia pater tuus et mater tua socii mei fuerunt: et tu modo fecisti contra genus tuum. O mirandum quia puella tenera superavit patrem et matrem. et omnem cognationem suam. et christum secuta est. ligat demones. diabolum fugat. et aliquos occidit. He te virtus nostra nichil valet. quando a tenera puella superatus sum. Sancta margareta respondit. Enarra mihi genus tuum inique: quis te genuit. vel quis precepit vos sanctis dei insidiari? Demon ait. Dic mihi margareta unde es. enarra mihi primo genus tuum. et unde membra tua que in te moventur. unde fides tua: vel quomodo tanta virtus in te est ingressa. ego vero post hec narrabo opera mea que feci. Sancta margareta respondit. Non licet mihi hec nunciare tibi. quia nec dignus es audire vocem meam. gracia enim dei sum id quod sum. Demon ait. Sathanas est rex noster: qui proiectus est de paradiso. In libris iambre et mambre invenies genus nostrum. Scrutare et vide. ego non audeo tibi loqui. quia video christum circa te manentem cum angelis suis. Nam vie nostre non sunt super terram. sed cum ventis ambulamus. Peto te sustine modicum. ut unum verbum loquar tecum. Et ait. Adiuro te famula dei per christum in quem credis: ne amplius eicias me de anima. sed liga me in manu terre usque in vitam tuam: ne pugnem cum iustis neque tecum. Nam salomon multa sua inclusit nos in uno vase. Post mortem vero illius ignem mittebamus ex eo: et